INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XIX. APRILIS ANNI MDCCCLXXXI.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROFESSORIS LIC. JULII MARQUARDT** COMMENTATIO: S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS QUID DE CONTENTIONIBUS ET PLACITIS ARIANORUM SENSERIT. PARTICULA II.

BRUNSBERGAE, 1881.

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. JOS. BENDER,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
RECTOR ET SENATUS
CIVIBUS SUIS
S.

Caput alterum.

S. Cyrilli de trinitate doctrina.

I. De trinitate in universum.

S. Cyrillum Hierosolymitanum in catechesibus suis articulos fidei christianae haud ita subtiliter et ingeniose, sed ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodate exposuisse, inter omnes constat. Neque in explicanda trinitate tantum valuit ingenii vi et acumine, ut cum celeberrimis illius aetatis viris, qui hanc doctrinam mira subtilitate et sapientia enodaverunt, comparari possit[1]. Quid, quod ne illo quidem verbo, quo ecclesia in concilio Nicaeno suam de hoc mysterio fidem expressit (sc. *ὁμοούσιος*), in orationibus catecheticis usus est. Nihilosecius non sine magna dexteritate et veritate judicii in hoc dogmate versatur, tum ut oppositos haereticorum errores detegat et refutet, tum ut catholicam de eo doctrinam exponat atque comprobet.

1. Qua in re ut bene procederet, jam symbolum apostolicum, quod catechumenis explanavit, ei rectam viam aperuit. Quod quum nos jubeat, quum „in unum deum", tum „in patrem et filium et spiritum s. credere" (cat. 7, 1. cat. 10, 1. cat. 16, 3), fundamentum fidei christianae in eo poni vult, ut unum quidem deum, sed tres in eo personas existere confiteamur, vel ut verbis utar symboli Athanasiani, „ut unum deum in trinitate et trinitatem in unitate veneremur". Duo igitur momenta, quorum sua utrique virtus inest, in doctrina de trinitate comprehendamus oportet, unitatem dico naturalem et discrimen personarum; quae si bene conjungimus et alterum altero sustentamus, rectam rationem inimus, sed ubi secernimus et alterum solum vel plus justo respicimus, alterum rejicientes vel parvi ducentes, a veritate deflectimus. Qui enim solius unitatis rationem habentes patrem et filium et spiritum s. quam artissime inter se consociari volunt, neglecto personarum discrimine facile eo pervenient, ut patrem et filium et spiritum s. permisceant vel nihil aliud esse intelligant nisi potentias et proprietates dei; qui vero discrimini personarum majorem vim tribuentes patrem et filium et

[1] Cat. 16, 24: „Unus pater, unus dominus, unigenitus ejus filius, unus spiritus s. paracletus. Atque ista nobis scire sufficiat, naturam vero ne sollicite inquiras. Si enim scriptum esset, diceremus; quod non scriptum est, non audemus. Satis est nobis ad salutem nosse, patrem et filium et spiritum s. esse".

spiritum s. separant et alium ab alio removent, jam eo progressi sunt, ut unitate omissa tres diversas substantias aut filium et spiritum s. patri subordinatos eoque minores vel patris creaturas esse dicant. Jam primis ecclesiae saeculis utrumque errorem floruisse, testimonio historiae comprobatur; alii enim fuerunt, qui unitate sola proclamata ipsas personas confunderent et patrem et filium et spiritum s. unum eundemque putarent; neque defuerunt alii, qui unitate omni negata patrem et filium et spiritum s. non solum personarum proprietate, sed etiam naturae diversitate discretos esse dicerent et divinitatem soli patri, filio autem et spiritui s. inferiorem naturam adscriberent. Quorum famosissimus et Cyrillo aetate proximus Arius fuit, qui trinitatis mysterium adeo pervertere conatus est, ut filium non e substantia patris aeterno modo genitum neque naturae divinae participem, sed voluntate patris in tempore productum et ex nihilo creatum esse contenderet. Verum etiam Sabellianam personarum confusionem ii qui Cyrillo aequales fuerunt Marcellus Ancyranus et Photinus Sirmiensis orientalibus (si non omnibus, certe plurimis) videbantur renovasse.

2. Quae quum ita essent, Cyrillus optimo jure duas potissimum haereses detestatur et impugnat; quarum alteram intelligit eam esse, quae tres personas confundat, alteram hanc, quae sanctam trinitatem separet et (vel tres deos statuat vel) alii personae aliam naturam tribuat. Neque tamen in sola refutatione utriusque haeresis acquiescit, sed quum utramque in alteram partem propterea abire videret, quod aut unitatem substantiae aut discrimen personarum praeteriret, ipse media via ita incedit, ut unitate naturali aeque ac distinctione personali observata ad catholicam de trinitate fidem tuto perveniat. Audiamus jam hunc ipsum. „Spes nostra“, inquit, „in patrem et filium et spiritum s. est. Non tres deos annuntiamus, obmutescant ergo Marcionistae, sed cum spiritu s. per unum filium unum deum praedicamus. Indivisa est fides, inseparabilis pietas. Neque separemus s. trinitatem, quod quidam faciunt, neque confusionem secundum Sabellium inducamus“. (cat. 16, 4). Quum igitur Cyrillus in deo tres personas admittat, tres autem deos neget, filium et spiritum s. aut unum cum patre deum aut patre inferiores nec vere divinas personas esse credidit. Atqui divinitatem ab iis abjudicare idem esset ac trinitatem separare, quod quidem a Cyrillo maxime cavetur; quumque Sabellianam trium confusionem non minus rejiciat quam distractionem substantiae, hoc certe ei exploratum persuasumque fuit, unam eandemque naturam divinam tribus personis communem esse. Non aliam atque eam, quam dixi, Cyrilli sententiam esse, optime ex iis locis pernosci posse existimo, quibus quod supra de vitanda trium separatione aut confusione monuit, idem de patre et filio tam praeclare exponit, ut nihil fere desideres. „Neque filium abalienes a patre, neque facta duorum confusione filio-paternitatem (υἱοπατορίαν) credas“ (cat. 4, 8). „Ut breviter dicam, neque separemus neque confusionem faciamus; neque alienum unquam a patre filium dixeris neque illos pertuleris, qui dicunt, patrem modo patrem esse, modo filium. Aliena enim haec sunt et impia, non ecclesiae documenta“ (cat. 11, 18. cf. ibid. 16—17). Quid vero sit ex Cyrilli sententia, trinitatem vel personas separare, perspicue explicat cat. 11, 17, ubi easdem contrarias haereses refellens: „Non pater“, inquit, „pro nobis passus est, sed pater eum misit, qui pro nobis passus est ... Neque filio nos deferre honorem rati patrem eum appellemus, neque patrem honorare arbitrantes filium unam ex creatis rebus esse suspicemur“. Itaque haec mihi res jam explorata videtur: Arianos, qui cum discrimine personarum diversitatem ipsius substantiae inducentes filium (et spiritum s.) in creaturarum numerum referebant, non minus refellens quam Sabellianos, qui unitate nimis affirmata vel ipsas tres personas in unam confundebant, Cyrillus „regiam viam ingreditur neque ad sinistram vel ad dextram declinans“ (cat. 11, 17) unius naturae vinculo tam arto tres conjungit, ut a sola personarum confusione et facta interdum alius in aliam mutatione abhorreat.

3. Si vero quaeritur, qua tandem ratione fieri possit, ut in trinitate differentia personarum unitati naturae conveniat, Cyrillus recte respondet, alteram cum altera non pugnare, quum quidem tres

personae unam eandemque naturam divinam et ea, quae sint naturae propria, inter se communicent. Nam „divinitatis paternae cum s. spiritu etiam unigenitus filius particeps est“ (cat. 6, 6), et „spiritus s. cum patre et filio divinitatis gloria honoratur“ (cat. 4, 16) et „vivens ac subsistens nunquam non cum patre et filio conjunctus est“ (cat. 17, 5)[2]). Neque solum natura et divinitate vitaque interiori tres ita inter se cohaerent, ut ubi alius est, una sint et alii, sed etiam in operibus quae dicuntur ad extra communi munere funguntur. „Pater enim per filium cum spiritu s. omnia donat, neque alia sunt dona patris, alia filii, alia spiritus s., sed una est salus, una potestas, una fides“ (cat. 16, 24). „Individua igitur et una est ea, quae ex patre et filio et spiritu s. erga nos existit salutis largitio“ (cat. 17, 5), unde in sanctificatione hominum alius non agit alio quiescente, sed „a servitute in adoptionem filiorum dei patris gratia per filium et spiritum s. provehimur (cat. 7, 7) omniaque dona coelestia ex patre per filium in spiritu s. omnibus profunduntur“ (cat. 18, 29). Omitto singulas dei proprietates, quas Cyrillus sine omni delectu ac discrimine tribus personis attribuit, ordine hic numerare; relinquo infinitam divinitatis, quam pater cum filio et spiritu s. communicat, dignitatem et altitudinem; sapientiam divinam praetereo, qua soli tres unum deum seque ipsos plene perspiciunt[3]). Sed quae apud Cyrillum ad unam et individuam quam tribus debeamus adorationem et gloriam divinam pertinentia legimus, quum sint egregia de trinitate testimonia, temperare mihi non possum, quin tota hic exscribam. „Indivisa“, inquit, „patris et filii cum spiritu s. glorificatio persolvatur. Non enim aliam gloriam pater, aliam habet filius, sed unam et eandam (μίαν καὶ τὴν αὐτήν) cum spiritu s. (cat. 6, 1). Nemo dicat, alium ibi et alium hic esse spiritum; alioquin in ipsum offendet spiritum s., qui cum patre et filio honoratur et sancti baptismi tempore in s. trinitate simul comprehenditur ... Merito igitur baptizamur in patrem et filium et spiritum s.“ (cat. 16, 4, 9. cf. cat. 11, 17). Atque haec quidem, quae ex Cyrillo attulimus verba, ab antiquissimis inde temporibus in baptismo legitime nuncupata, distinctam trium personarum professionem continent, unde in ecclesia celeberrima illa trinitatis formula nata est, qua Cyrillus ad laudandum trinum deum in fine cujusvis fere catechesis ita utitur, ut particulis aequalitatis „et“ sive „cum“ inter nomina divina positis suam de individua trinitate fidem saepissime profiteatur (cf. praes. catt. 7. 9. 13. 17. 19. 23). Quid aliud lector desideret nescio, nisi forte vocem ὁμοούσιος, quam quidem nondum in catechesibus, sed demum in epistola duobus vel tribus annis post, quam illas habuit, ad Constantium missa invenimus, ubi Cyrillus orat, ut deus per multos annos Augustum servet „glorificantem sanctam et consubstantialem trinitatem (ὁμοούσιον τριάδα)“.

4. Sed est fortasse, qui adversus expositam de trinitate doctrinam objiciat, quod Cyrillus externa dei opera, quum sint tribus personis communia, separaverit et aliud alii personae adscripserit, unde vel in ipsam quam dicimus immanentem vitam divinam quasi quaedam distractio trinitatis et personarum redundet. Velut patri solum mandatum et exemplar mundi creandi, creationem ipsam soli filio,

---

[2]) Cf. procat. 15, ubi catechumeni in baptismo animos ad tres personas attendere jubentur his verbis: „Animo vobis informate omnium dominum deum sedentem et unigenitum filium a dextris una sedentem et spiritum s. simul praesentem (συμπαρόν), thronos vero et dominationes ministrantes“. Cf. cat. 15, 24.

[3]) Quum Cyrillus procat. 15 dixisset, omina deo servire, vel ipsos thronos et dominationes, unum filium et spiritum s. excipit, „quippe qui sint extra omnia positi“ (cat. 8, 5). — Quod cat. 6, 2 sqq. et cat. 9, 3 docet, infinitam dei substantiam a nullo penitus comprehendi nisi a deo ipso, idem de filio ejusque aeterna generatione et de natura spiritus s. iisdem fere verbis repetit (cat. 11, 11 sqq. cat. 16, 5, 24. cat. 17, 17). Sed filium et spiritum s. perfecta dei cognitione gaudere docet; nam ubi angelos probavit alios aliis excellentius deum videre, nullos autem perfecte, ibi tacere non potest, „solum spiritum s. cum patre et filio deum videre, sicut oporteat, ejusque profunda scrutari“ (cat. 6, 6); et quum fusius disputasset, divinam filii generationem coelo et terrae, angelis et hominibus totique creaturae mysterium manere, quod percipi non possit (cat. 11, 11), plenam ejus intelligentiam tum spiritui s. concedit, qui „solus profunda dei cognoscat“ (cat. 11, 12), tum filio, quum „qui genitus sit, non minus noverit genitorem, quam qui genuerit, noverit generatum“ (cat. 11, 13).

spiritui s. sanctificationem rerum creatarum attribuere videtur. Et quo melius explicet, quas in creatione patri et quas filio partes dari velit, exemplum proponit ab rege sumptum; qui quemadmodum urbem conditurus filio secum regnanti exemplar urbis subjiciat, hic vero ad exemplar a patre acceptum opus ipsum ad finem perducat, sic etiam patrem, quum creare voluisset, filio exemplar mundi suppeditasse, quod quidem hic mandatu patris perfecerit[4]). Quae sententia si urgetur, quam proxime accedere videtur ad opinionem Arianorum, qui patris actiones graviores rati, quam quae a creaturis sustineri possent, media natura et manu filii, ut mundus crearetur, opus fuisse censebant[5]). — Sed primum mihi illa, quae ab ipso Cyrillo „infirma" dicitur, comparatio nihil aliud significare videtur, nisi quod omnes fere theologi ad nostram usque aetatem docuerunt, inter opera dei externa, quamquam omnia a trino deo proficiscuntur, tamen justis de causis aliud alii personae praecipue, ut ajunt, appropriandum esse, ita quidem, ut unicuique trium personarum illud praesertim opus externum attribuatur, quod immanenti ejus in trinitate vitae ac rationi maxime respondeat. Quapropter non solum Cyrillus, sed vel is ipse, qui adversus Arianos praestantissimus orthodoxae fidei defensor exstitit Athanasius multique alii ecclesiae patres sacrae scripturae vestigiis insistentes (Joh. 1, 3; 5, 19) persuasum habuerunt, deum per filium quasi per sapientiam et manum suam omnia condidisse filiumque ipsum ita tantum mundum creasse et redemisse, ut quodammodo ad creaturas sese accommodans splendorem et majestatem divinitatis suae cohibuerit[6]). Deinde comparantem hac de re a Cyrillo dicta cum opinione Arianorum neminem facile praeterire posse existimo, eos alia prorsus de causa creationem filio tribuisse ac Cyrillum. Illi enim dignitatem majestatemque naturae paternae attulerunt, quae quum ipsa nec ad creaturas descendere nec ab iis ferri posset, per inferiorem filium mundum creaverit, hic vero docet, patrem regium regio filio ea ratione mundum creandum commisisse, ut parem cum patre in res creatas dominationem habeat. Ceterum permulti nobis in catechesibus loci occurrunt, quibus eundem mundum modo pater, modo filius creasse dicitur. Quis enim de simplici nutu et consilio creandi intelligi voluerit, quae catecheta praeclarissime de deo patre omnium rerum creatore tradidit et contra Marcionistas, Manichaeos, alios haereticos defendit, qui hunc mundum a patre Christi eodemque auctore veteris testamenti profectum esse negabant? (cat. 4, 18, 22. cat. 6, 9, 12. cat. 9). Quos quidem non solum eo perducere studet, ut eundem deum agnoscant et auctorem veteris testamenti et verum patrem Jesu Christi, sed etiam omnium rerum creatorem, qui „coelos et terras, animas et corpora condiderit (cat. 4, 4. cat. 7, 5—8) suisque manibus creationis opus attigerit (cat. 4, 5. cat. 9, 15) omnesque eos, quos creaverit, si mortui et collapsi fuerint, resuscitaturus sit, quemadmodum sit statuarii, collapsam formam restituere (cat. 18, 3, 6). Alibi hominem commune opus patris et filii dicit (cat. 10, 6), quorum alter semper agat cum altero (cat. 7, 6), et in ea, quae est de deo omnium rerum conditore, catechesi nona nulla filii mentione facta deum fuisse ait, qui singula membra hominis in unum corpus manu sua composuerit (cat. 9, 15).

---

[4]) Cat. 11, 22: „Vellem equidem exemplum quoddam afferre, sed illud infirmum esse novi; quaenam enim ex visibilibus rebus divinae invisibilisque potestatis idoneum exemplum esse potest? Dicatur nihilominus tamquam infirmum, et ab infirmo ad infirmos. Quemadmodum igitur, si quis rex, filium habens regem, civitatis constituendae cupidus filio secum regnanti subjiciat struendae civitatis exemplar, ille autem, exemplari sumpto, cogitatum opus ad finem perducat: ita, quum pater omnia construere voluisset, patris nutu omnia filius perfecit, ut nutus quidem ille patri servet incolume summae potestatis arbitrium, filius vero rerum a se factarum habeat potestatem, ut neque pater propriorum operum dominatione privetur, neque filius in res ab alio, sed a se conditas regnum obtineat".

[5]) Hanc doctrinam exponit Eusebius Caesar. de laud. Const. c. 9, et refutat Athanasius or. II c. Arian. 24. de decr. Nic. 7—8.

[6]) Athanas. or. II, 64. de decr. Nic. 7, 9, 12, 17. Basil. de spir. s. c. 16. Cyill. Alex. thes. I, 29. Schwane l. c. II, 164 et I, 124.

5. Ut creationem soli filio, ita sanctificationem rerum creatarum Cyrillus soli spiritui s. videtur attribuere. Neque tamen concedendum esse existimo, eum hac in quaestione a doctrina ecclesiae aberrasse. Quaecunque enim explicat Cyrillus, per spiritum s. caritatem cordibus nostris infundi, pias cogitationes excitari, infirmitatem nostram adjuvari, purgari animas a peccatis (cat. 16—17), haec multaque alia cum sacra scriptura omnes patres ecclesiae docuerunt; unde licet colligere, probatam esse theologis sententiam, licet omnia dei opera tribus personis communia sint, tamen in sanctificatione peculiare aliquid propriumque spiritus sancti intercedere, quod quidem immanenti ejus in trinitate vitae ac rationi maxime respondeat. Ipse indelebiles quos vocamus baptismi et confirmationis characteres nobis imprimere, animas custodire, adoptionis gratiam donare, aquae baptismali et chrismati vim sacramentalem (cat. 3, 4. cat. 21, 3), exorcismis virtutem (cat. 16, 18—19. procat. 9) etc. tribuere dicitur a Cyrillo; eandemque esse aliorum patrum doctrinam, nemo est qui nesciat. Accedit, quod etiam hac in re catecheta non ita sibi constat, ut solam sanctificationem soli spiritui s. adscribat. Tantum enim abest, ut spiritum s. a ceteris dei operibus excludat, ut ei suas quoque in creatione partes det[7]) et commune cum patre et filio in creaturas dominium concedat (cat. 8, 5) mirabilemque illam, quam patres ex summa creatoris potentia repetere solent, panis et vini in corpus et sanguinem Christi transmutationem non minus spiritui s. quam filio vel toti trinitati tribuat (cat. 21, 3. cat. 23, 7, 19. cat. 22, 1. cat. 19, 7). Denique in sanctificatione etiam patrem et filium una cum spiritu s. agere, jam supra ex Cyrillo probavimus et ex omnibus fere catechesibus cognoscimus, in quibus extremis sanctificationem et salutem auditorum modo ab hac vel illa persona divina, modo a tota trinitate vel ab uno deo exposcit[8]).

II. De divinitate filii.

Si quis argumenta s. Cyrilli de trinitate supra composita attento animo studioque prosecutus fuerit, is quidem, ut opinor, jam multa invenerit, quae non parum valent ad sententiam ejus de divinitate filii cognoscendam. Sed tamen propria, quae exstant apud Cyrillum hujus dogmatis testimonia, eo magis necesse mihi esse putavi colligere et ponderare, quod optime hinc apparet, quantum ab impiis placitis Arianorum, quorum ipsi objecta est communio, doctrina ejus abhorreat. Etenim non solum fidem ecclesiasticam de divinitate filii accurate copioseque exposuisse et probasse, verum etiam omnes haeresis Arianae surculos diligentissime indagasse et radicitus evulsisse mihi videtur.

1. Ac primum quidem, qui lucem huic rei afferant, idonei jam illi loci sunt, ubi, rejecta impia Arianorum de natura filii assertione, filium ab omni genere creaturarum sejungit neque ex nihilo factum, sed proprie vereque e patre genitum et naturalem ejus filium esse omni, qua par est, gravitate et cura contendit. „Ne filium unam ex conditis rebus esse suspicemur“ (cat. 11, 17), sicut illi opinantur, qui „Christum ex non exstantibus (*ἐξ οὐκ ὄντων*) ad esse perductum dicere audent“ (cat. 15, 9). „Nam ut jam saepe dictum est, nequaquam ex non ente ad esse filium traduxit (pater), neque eum, qui non erat, in adoptionem adscivit, sed aeternus existens pater aeternum genuit et inenarrabili modo unum solum filium“ (cat. 11, 14). Quibus omnibus locis a Cyrillo Arianos impugnari, qui filium dei in tempore *ἐξ οὐκ ὄντων* creatum esse dicebant, non est, quod pluribus explicem ac demonstrem. Sed quo planius dicat, quid sibi hac de re videatur, duas in deo actiones distinguit, alteram creatoris, qua

---

[7]) Quod cat. 12, 26 filio tribuit, ut in Maria quam assumpsit carnem ipse sibi formaverit, id cat. 17, 6 virtute spiritus s. factum esse dicit.

[8]) Cf. procat. 17. cat. 3, 16. cat. 6, 36. cat. 14, 30. cat. 15, 33. cat. 18, 35. cat. 20, 8. cat. 23, 23.

omnes res ex nihilo fecerit, alteram patris, qua filium solum genuerit[9]); quam quidem generationem intelligit esse tam veram et germanam, ut filius inde existat non adoptivus, sed proprius et naturalis. „Filium enim quum audis, ne adoptivum existimes, sed naturalem filium, filium unigenitum (cat. 11, 2). Ne abusive tantum filium dictum puta, sed vere, filium naturalem, initii expertem, non a servitute ad adoptionis gradum evectum, sed filium inde ab omni aeternitate genitum“ (cat. 11, 4). Qui enim per gratiam ad honorem filiorum dei promoventur, „dei voce et verbo adoptionem, quam non habebant, accipiunt“, ille vero „non quum aliud quidquam esset, aliud factus est, sed filius patris ab aeterno natus est, superior quovis initio et saeculis existens (cat. 11, 4). Is, qui secundum naturam filius non erat, per disciplinam factus est filius, hic vero naturalis est filius, verus filius. Non sicut vos, o illuminandi, nunc filii dei efficimini adoptione per gratiam . . . non ita natus est Christus ex patre“ (cat. 11, 9). Quodsi unus filius, quum solus e natura (φύσει) patris genitus sit, veram ac propriam filietatem habet, res jam ipsa loquitur, etiam patrem alio modo patrem Christi esse, alio modo eorum, qui per gratiam (θέσει) adoptionis participes redduntur. Quam ob rem Christus ipse non dixit: „Ascendo ad patrem nostrum, ne creaturarum cum unigenito communitas induceretur, sed divisione adhibita primum dixit, quod ejus solius proprium est, „ad patrem meum“, id quod natura erat, tum subjunxit „et patrem vestrum“, quod erat per adoptionem. Ne igitur existimes illum eodem modo filii et creaturarum patrem esse, sed aliter Christus dixit „meum patrem“, secundum naturam, et aliter „vestrum“, secundum adoptionem“ (cat. 7, 7. cat. 11, 19). Primum igitur ex omnibus, quibus supra usi sumus argumentis firmissimum hoc colligitur, e sententia Cyrilli filium esse ab omni creaturarum numero secretum, filium dei verum, a vero patre per veram generationem natum; neque unum quidem verbum ex catechesibus Cyrilli afferri posse affirmo, quo recentioris cujusdam auctoris sententia comprobetur, Cyrillum cum Semiarianis docuisse, filium dei ortum quidem esse e substantia divina, sed libere creatum[10]).

2. Ac ne quid desit in generatione, quod ad veram et perfectam filii divinitatem pertineat, Cyrillus non cessat repetere, tempus, quum pater sine filio exstiterit, nullum omnino fuisse, neque ullum spatium aut defectum in generatione divina intercedere, sed esse eam et aeternam et perfectam. Etenim „si deus et pater generat, neque ignorantia neque deliberatio in medio . . . Dicere, quum temporibus secum considerasset, patrem deinceps factum esse, ejusdem impietatis est . . . Verum semper filium habet (cat. 11, 8). Atque in corporibus quidem gignendis opus est, ut temporis mora intercedat, nullum vero in generatione filii intermedium tempus reperitur (cat. 11, 7). Non enim temporum successu adeptus est, ut pater sit, sed unigeniti pater aeternus existens. Neque quum antea esset sine filio, postea mutata sententia factus est pater, verum ante omnem substantiam et omnem sensum, ante omnia tempora et saecula paternam habet dignitatem, qua quidem magis quam omnibus reliquis titulis gaudet“ (cat. 7, 5). Quodsi deus ab aeterno est pater, Cyrillus hinc recte concludit, ab aeterno etiam filium esse; nam patris et filii notiones sejungi non posse, sed ubi de patre mentio incidat, etiam filium cum ipso nomine patris in memoriam venire et patrem cum nomine filii, ita quidem, ut alter ab altero ne cogitatione quidem separari possit[11]). Quapropter etiam notissimum illud psalmistae

---

[9]) Cat. 4, 4: „Unus est coeli et terrae, angelorum et archangelorum factor, qui multarum quidem rerum creator est, unius vero solius Jesu Christi pater ante saecula“. Cat. 7, 5: „Et multorum quidem abusive pater, unius vero solius Jesu Christi natura et veritate pater“.

[10]) Baumgarten-Crusius, Dogm. Gesch. I, 270: „Also waren Semiarianer, welche den Sohn Gottes für entstanden, aber aus dem göttlichen Wesen, wenngleich nicht auf emanatistische Weise, sondern frei erschaffen hielten: Cyrill von Jerus. u. s. w.“

[11]) Cat. 7, 4: „Patris nomen sua ipsius appellatione simul et filii notionem animo subjicit, quemadmodum qui filium nominavit, statim etiam patrem cogitatione complexus est. Si enim pater, omnino filii pater est; et si filius, omnino patris filius . . . Simul atque pater cogitatur, una et filium cogitemus (ἅμα τῷ νοεῖν πατέρα νοήσωμεν καὶ τὸν υἱόν); nam filium inter et patrem nihil prorsus eorum, quae sunt, medium interest (οὐδέν ἐστι μεταξύ)“.

„filius meus es tu, ego hodie genui te“ (Ps. II, 7) explanans: „Illud hodie“, inquit, „non recens, sed sempiternum, hodie temporis expers, ante omnia saecula“ (cat. 11, 5). Filius enim „non in temporibus, ut esset, accepit, sed ante omnia saecula sempiterno et inenarrabili modo e patre genitus est“ (cat. 4, 7). Ejusdem rei hoc testimonium addit, quod Christus post baptismum, quum descendisset spiritus s., voce paterna de coelo audita aliter atque ceteri baptizati declaratus sit dei filius. Fiet quidem, ut „in te quoque descendat spiritus s. et paterna vox tibi desuper audiatur, non autem ‚hic est filius meus‘, sed ‚hic nunc factus est filius meus‘. De illo solo est dictum ‚est‘, quando quidem in principio erat verbum ... Illi, inquam, soli convenit vox ‚est‘, quum sit semper filius dei; tibi vero competit ‚nunc factus est‘, quoniam ut filius sis, non per naturam habes, sed per adoptionem filii appellationem consequeris; ille sempiterno est, tu vero ex profectu gratiam acquiris“ (cat. 3, 14. cat. 11, 19). Denique jam iniquissimum illud: *ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱός*, in quo quidem haeresis Ariana maxime vertebatur, recta via petit et impugnat, auditores suos admonens, „ne unquam dicant: ‚Erat, quando non erat filius‘“ (cat. 11, 17).

3. Considerantem ea, quae modo exprompsimus argumenta, neminem facile fugisse confido, quot sint a Cyrillo dicta, totidem fere Arianorum erroribus opposita esse, neque vereor, ne quis non probet, quod dicit Dornerus [12]), Cyrillum nihil a doctrina Athanasii abesse, quum quidem non semel profiteatur, filium non ex nihilo neque in tempore creatum, sed e substantia patris genitum et proinde aeternum esse ac patrem, qui eum genuerit. Minime autem eo adduci possum, ut eidem viro credam, Cyrillum alibi de sententia sua decedere deque divina generatione minus recte sentire. Respicit enim Dornerus illum locum, ubi Cyrillus, quum dixisset, non duos esse ingenitos neque unigenitos duos, sed unum patrem ingenitum et unum genitum filium, ad aeternitatem generationis divinae transiens ita pergit: „Sermonibus cogitationibusque nostris multo celerius, ut quidem consentaneum est, generavit deus. Nos enim, quum in tempore loquamur, tempus consumimus; ubi autem de divina potestate sermo est, temporis expers (*ἄχρονος*) est generatio“ (cat. 11, 14); — ubi D. ex verbis „multo celerius sermonibus cogitationibusque nostris“ non dubitat conjicere, Cyrillum de generatione divina cogitasse ut de „actu singulo“ (praetereunte?) [13]). Sed fingamus, nihil ad nos ex operibus Cyrilli pervenisse nisi ea, quae memoravi verba, tamen in iis nihil deprehendi posse judico, quod verae doctrinae repugnet. Tantum enim abest, ut Cyrillus hoc loco quoddam temporis spatium in generatione divina admiserit, ut verbo „temporis expers (*ἄχρονος*)“ addito omne tempus ab ea removerit. Quam ob rem si dicit, „multo celerius etc.“, vel *κατ᾽ ἄνθρωπον* loquitur, eadem fere dicendi ratione utens qua Moses (Ps. 90, 4) et Petrus (II, 3, 8: unus dies apud dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus), vel, quod mihi quidem magis placet, generationem divinam ita intelligi vult aeternam, ut ne mente quidem humana temporisque spatiis subjecta apte convenienterque de ea cogitari possit. „Nos enim, quum in tempore loquamur, tempus consumimus; ubi autem de divina potestate sermo est, temporis expers est generatio.“ Quin etiam ex ea opera, quam Cyrillus in aeternitate generationis confirmanda navat, effecta mihi videtur illius imaginis rejectio, quam alii auctores ecclesiastici ad illustrandam patris et filii in generatione rationem non dubitaverunt a mente et verbo hominis repetere. Quam quidem Cyrillus non solum reprobat, quia mens in nobis subsistat, verbum autem, quum fuerit enunciatum, propria existentia careat, sed etiam, quia mens prior existat,

---

12) Dorner, Entwicklungsgesch. der Lehre von der Person Christi II, 861.

13) L. c.: „Doch findet sich auch Entgegengesetztes, so wenn er sagt, weit schneller, als wir denken oder sprechen können, habe der Vater den Sohn gezeugt; hier ist die Zeugung doch wieder als ein einzelner Act vorgestellt“.

unde posterius verbum procedat labiisque prolatum diffluat; „nos autem novimus, Christum natum esse verbum, non prolatitium (*γεννηθέντα λόγον, οὐ προφορικόν*), sed verbum subsistens et vivens, sempiterno e patre genitum, teste apostolo: in principio erat verbum“ (cat. 11, 10). Quid, quod Cyrillus iterum atque iterum et quavis occasione oblata ad probandam aeternitatem filii revertitur, ut nullum fere fidei christianae dogma reperias, quod in catechesibus studiosius latiusque excusserit et contra haereticos defenderit; quod quidem nemini mirum videbitur, qui non nesciat, hanc ipsam quaestionem ab Arianis vel maxime in controversiam vocatam esse, ita quidem, ut divinitatem filio non magis auferre se posse putarent, quam aeternitate negata, neque catholici divinitatem magis tueri, quam aeternitate defensata. Longum est, innumerabilia, quae praesertim in catechesibus X—XII (de uno domino Jesu Christo, de filio dei unigenito, de Christo incarnato) nobis occurrunt, hujus dogmatis testimonia colligere et proponere; illud unum adjicio, quod catecheta de persona Jesu Christi disserens facere non potest, quin catechumenos admoneat, ne ex eo, quod filius humanam naturam assumpserit, ipsum credant originis initium habuisse; nam „filius quidem Davidis est in consummatione saeculorum, dei vero filius ante omnia saecula sine initio. Et illud quidem assumpsit, quod non habebat, hoc autem, quod habet, sempiterno habet ex patre genitus. Atque illud quidem, quod secundum Davidem est, tempori subjicitur et contrectatur et prosapiam habet, quae recenseatur; quod vero est secundum deitatem, neque tempori obnoxium est neque loco neque genus habet, quod recenseri possit“ (cat. 11, 5). „Non enim, quum in Bethlehem natus est, tunc esse coepit, sed ante omnia saecula ... Ne attendas ad eum, qui modo ex Bethlehem ortus est, verum adora eum, qui sempiterno ex patre genitus est. Ne quemquam patiare, qui temporale filii principium dicat, principium enim filii temporis nescium, principio carens, pater est“ (cat. 11, 20. cf. cat. 12, 4). Sed ut jam paucis dicam: quaecunque ad filium dei pertinent, aeterna esse docet, generationem, dominium, sedem a dextris patris occupatam, vel ipsum sacerdotium (cat. 4, 7. cat. 11, 17. cat. 14, 7, 30. cat. 10, 4, 5, 9).

4. Ut omni tempore, ita etiam omni defectu divina generatio, qua filius ab aeterno ex patre prodiit, vacare a Cyrillo dicitur. Etenim „non ex passione factus est pater ... non deminutus, non alteratus ... Pater perfectus perfectum genuit filium, omnia tradens ei, quem generavit“ (cat. 7. 5). Alia enim humanae et terrestris, alia divinae generationis ratio est; quod enim in terra gignitur, „imperfectum nascitur temporisque profectui et incremento subjectum est, sed filius dei perfectus est natus; quod enim nunc est, id jam a principio est, natus absque initio“ (cat. 11, 7). Quod ita esse si negas, infirmitatis patrem accusas; nam „si hic imperfectum generavit, qui temporis processu perfectionem assecutus est, id, quod tempus postea largitum est, tua sententia genitor ab initio non dedit“ (cat. 11, 7). Constat igitur, generationis divinae hoc proprium esse, ut „neque generans ulla re deminutus sit, neque desit quidquam genito ... Non enim in temporibus genitus est, sed ante saecula genitus, non ex profectu auctus, sed hoc ipsum natus, quod nunc est (cat. 11, 13). Neque pater deum generans deitate ipse spoliatus est vel quidquam ipse deperdidit imminutus vel mutatus, neque ille, qui genitus est, defectum ullum habet; perfectus est, qui genuit, perfectus, qui genitus est; deus est, qui genuit, deus, qui genitus est“ (cat. 11, 19).

5. Jam satis multa vel plura potius, quum necesse fuit, testimonia attulisse mihi videor, e quibus facile cognitu est, e mente Cyrilli filium propria et aeterna generatione ex patre sine omni defectu genitum esse. Ita quum judicaret quumque verae generationi hoc proprium inesse intelligeret, ut id, quod nascitur, praeter alia eandem cum genitore naturam habeat, res ipsa eum monuit, ut ad verba symboli ecclesiae Hierosolymitanae recurrens profiteretur, „filium esse deum de deo genitum, vitam e vita genitum, lucem e luce genitum, aeternum ex aeterno genitum, similem per omnia genitori

(*ὅμοιον κατὰ πάντα τῷ γεννήσαντι*)“ (cat. 4, 7. cat. 11, 4, 8—9, 18)[14]). Quid vero? Nonne forte ex proximis hujus loci verbis quispiam conjecerit, Cyrillum ab Arianis quidem longissime abesse, Semiarianos autem quos vocamus in doctrina de filio secutum esse? Tantum enim aberat, ut illi pravissima Arianorum placita probarent, ut profiterentur, filium deum esse ex deo natum et patri natura similem (*ὁμοιούσιον τῷ πατρί*)[15]). Sed quis est, qui doctrina Semiarianorum bene perspecta et cum Cyrillo comparata non statim videat, similia quidem verba esse, sententias autem diversas. Illi enim naturalem filii cum patre similitudinem ita acceperunt, ut, plena divinitate soli patri attributa, filium patri non aliter aequalem esse dicerent atque imaginem ad exemplum patris expressam, neque divinitatem patris in se habere, sed effigiem tantum et speciem ejus reddere; Cyrillus vero plenam patris divinitatem etiam filio sexcenties attribuit iisque ipsis locis, quibus filium dixit patri similem, disertissime planissimeque docuit: „Deus verus quum sit pater, similem sibi genuit filium deum verum“ (cat. 11, 8—9), qui „patrem in se ipso habet“ (cat. 11, 17) et „nihil desiderat, quod ad divinitatis dignitatem desit“ (cat. 4, 7). „Credimus igitur in filium dei unigenitum deum verum; verus enim deus non generat falsum“ (cat. 11, 14). „Nihil igitur deitatis characteres in filio differunt, quapropter qui visione filii dignus habitus est, idem ad videndum genitorem evectus est“ (cat. 11, 18). Accedit, quod Semiariani opinabantur, patrem vel sine filio existere posse et filium voluntate patris libera procreatum esse[16]); Cyrillus autem utrumque tam arte conjungit, ut alter sine altero nec esse nec cogitari possit, et generationem filii tam accurate a liberis dei operibus distinguit, ut persuasum habeat, patrem non creatorem esse posse filii, quem genuerit, neque genitorem mundi, quem creaverit (cf. supra n. 1). —

Neque majoris momenti mihi videntur ea esse, quae Cyrillus de aeterno filii sacerdotio protulit[17]). Negari quidem non potest, Arianos, quo magis filii dignitatem minuerent, eo studiosius sacerdotium ad ipsum verbum divinum, catholicos contraria de causa ad Christum incarnatum detulisse. Sed primum catecheta mihi hac de re nihil aliud docuisse videtur, nisi quod in sacra scriptura invenit, cujus huc pertinentes locos (Ps. 110, 4. Hebr. 7, 17) sic interpretatus est, quasi filius cum generatione aeterna simul et sacerdotium aeternum a patre acceperit (cat. 10, 11); deinde in eadem sententia, qua Cyrillum esse videmus, multi non solum ante concilium Nicaenum, sed etiam postea patres fuerunt, qui omni suspicione haeresis Arianae carent[18]). Ceterum Cyrillus solam dignitatem sacerdotii aeterno filio attribuere videtur, reliqua autem, quae cum sacerdotio conjuncta sunt, munera ac negotia inferiora ab eo removere. Certe difficile intellectu est, quomodo fieri possit, ut filius patrem adoret, quocum una et aequali adoratione conjungendus est (cat. 10, 10. cat. 11, 17); ut supplicet patri is, ad quem prophetae illud referendum est: „In te supplicabant, quoniam in te deus est, neque deus est praeter

---

14) Monere juvat, omnibus his locis a Cyrillo non dici *ὁμοιούσιον τῷ πατρί*, sed voce *οὐσία* neglecta, *ὅμοιον κατὰ πάντα τῷ πατρὶ τὸν υἱόν*. Notum est, hanc sententiam, „*τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ ὅμοιον εἶναι κατὰ πάντα*“ postea a Semiarianis in formulam Sirmiensem tertiam vel potius quartam receptam esse (a. 359). Cf. Hefele l. c. p. 700 sqq. Sed hinc non licet concludere, Cyrillum, qui duodecim fere annis ante, quam haec formula componeretur, catecheses habuit, cum Semiarianis stetisse.

15) Cf. Euseb. demonstr. evang. IV, 15. V, 1. Schwane l. c. II. p. 169 sqq.

16) Euseb. l. c. IV, 3. V, 1.

17) Cat. 11, 1: „(Christus) non profectu quodam ad sacerdotium evectus est, sed acceptam a patre aeterne habet sacerdotii dignitatem“. Cat. 10, 14: „Christus est summus sacerdos, non transferendum habens sacerdotium; qui neque in tempore sacerdos esse coepit, neque alterum habet pontificatus sui successorem. Quemadmodum vos die dominica in synaxi audivistis illud: „Tu es sacerdos in aeternum“; non ex corporea successione adeptus pontificium, neque factitio oleo unctus, sed ante saecula a patre“. Cf. cat. 10, 4.

18) Cf. Polycarp. ep. ad Philipp. 12. Clem. Alex. strom. II, 9 sq. Ambros. de prof. III, 16. Schwane l. c. 165.

te" (cat. 10, 16); ut sacrificium offerat filius, cui ab omni servitute alieno omnia serviunt sicut patri (cat. 8, 5). — Alii sunt, quos equidem levitate et negligentia quadam eo adductos esse crediderim, ut Cyrillum in suspicionem haeresis Semiarianae vocaverint. Quod enim catecheta dixit, patrem esse caput et principium filii, filium autem patrem pro deo suo habere (cat. 11, 14. cat. 13, 23. cat. 11, 19—20), hoc aliter, atque a Cyrillo dictum est, accipiunt et ita interpretantur, ut Cyrillum faciant docentem, filium patre vel natura et divinitate inferiorem esse[19]); quamquam ex ipsis Cyrilli verbis luce clarius apparet, patrem non dignitate et natura, sed sola origine respecta filii caput, principium, deum esse. „Etenim non duo sunt principia, sed caput filii pater unum est principium; pater enim genuit deum verum" (cat. 11, 14). Originis vero ratione habita, omnes fere patres et theologi filium patre minorem, vel ut rectius dicam, patrem filio majorem (principium, caput, fontem, auctorem) appellarunt, quum nemo non pro certo habeat, patrem cum filio naturam divinam communicare.

6. Sed satis jam verborum est, jamque vereor, ne diutius in explicandis singulis locis eos remoratus sim, qui probant illud Gregorii Nazianzeni (ep. 26), non magis ex hoc vel illo verbo quam ex sententiis literisque scriptorem interpretandum esse. Ut uno argumento Cyrilli doctrinam de filio dei ad finem adducam et comprehendam, vix meliora verba reperire possum quam ea, quibus idem ipse sub finem catechesis de filio dei unigenito habitae adversus contrarias quas jam saepe significavimus haereses fidem suam in hunc modum pronuntiat: „Vides deum filium, habentem in semetipso deum patrem, fere idem dicentem, quod dixit in evangeliis: ‚Pater in me est et ego in patre' (Joh. 14, 11). Non ait, pater sum ego, sed pater in me est et ego in patre. Rursum non dixit, ego et pater unum sum, sed ego et pater unum sumus; ut neque abalienemus, neque filio-paternitatis confusionem faciamus. Unum, propter divinitatis dignitatem[20]), si quidem deus deum genuit. Unum, ratione regii imperii habita; non enim in alia dominatur pater, in alia vero filius, sed in quae dominatur pater, in eadem dominatur et filius. Unum, quum nulla sit dissonantia aut separatio; non enim aliae patris voluntates, aliae filii. Unum, quod non sunt alia Christi opificia, alia patris; una est enim omnium creatio ... Deus igitur verus est filius, habens in seipso patrem, non in patrem mutatus; non enim pater hominem induit, sed filius" (cat. 11, 16—17). — Ligna mihi in silvam ferre viderer, ut Horatii verbo utar, si huic argumento multa verba adderem, quibus fusius latiusque demonstrarem, Cyrillum revera, personarum videlicet confusione repudiata, accurate sollerterque „notionem vocis ὁμοούσιος vocabulis idem significantibus clarius expressisse ... et publicatam Nicaeae fidem ad verbum interpretatum deum verum de deo vero praedicasse"[21]).

---

19) Cf. Dorner l. c.: „Leichte semiarianische Anklänge sind noch, daß er den Logos den ewigen Hohenpriester, den Vater die ἀρχή der ganzen Gottheit, die auch das Haupt des Sohnes sei, nennt".

20) Ex hac naturali patris et filii unitate et aequalitate facile pernoscitur, omnia ea, quae naturae divinae propria sunt, non minus deo filio quam deo patri attribuenda esse. Quemadmodum igitur natura patris omni creaturae inexplicabilis est (cat. 6, 5 sqq.), sic etiam substantia et generatio filii a sola trinitate comprehenditur (cat. 11, 12 sq.); velut divinitas patris tanto splendore est, ut, si quis eam intueretur, statim vitam amitteret (cat. 9, 1), ita etiam filius, quum ad homines descenderet, majestatem naturae divinae humana carne velare debuit, ne patefacta tota divinitate periremus (cat. 10, 7. cat. 12, 13); sicut de deo patre melius dicimus, quid non sit, quam quid sit (cat. 6, 2. cat. 9, 2), ita etiam de filio ejusque generatione et angeli et homines non illud perspicere possunt, quomodo revera genitus sit, sed solum, eum non ita genitum esse, quemadmodum mente intelligimus (cat. 11, 11); velut solius dei est, nullo loco includi, sed ubique immenso modo adesse omniaque contueri (cat. 4, 5. cat. 6, 7), sic etiam filius eadem immensitate omnibus locis adest et occultissimas videt cogitationes (cat. 14, 30).

21) Theophanes, Chronogr. Cf. cap. I. p. 8. not. 20.

III. De divinitate spiritus sancti.

1. Quaestionem de spiritu s. cum doctrina de filio dei explanata ita esse connexam, ut hac stabilita et ipsa illa consistat, hac collapsa et illa dilabatur, a nullo non intelligitur et historia comprobatur. Quemadmodum ecclesia Christi a primis inde incunabulis in professione ss. trinitatis personam spiritus s. eadem divinitate et majestate cum patre comprehendit ac filium, sic jam antiquissimis temporibus haeretici fuerunt, qui quae prava sentiebant de filio, etiam in spiritum s. transferrent. Jam Ignatius martyr (ep. ad Trall.) plures commemorat, quorum alii filium et spiritum s. cum patre confunderent, alii filium et spiritum s. a divinitate patris excluderent numeroque angelorum creatorum haberent, eosdemque errores sequentibus quoque saeculis renovatos et excultos esse et alterum quidem in Sabellianam, alterum in Arianam haeresim exiisse, progrediente commentatione nostra saepius monstravimus. Atque Ariani quidem, quum omnem impetum in filium dei converterent, spiritus s. ab initio nullam mentionem fecerunt, unde et patres synodi Nicaenae nihil fere de spiritu s. constituerunt, sed in articulo symboli apostolici: „(credo) et in spiritum s.“ acquiescentes omni virium contentione in asserenda filii divinitate versati sunt; supervacaneum enim et inutile iis videbatur, de spiritu s. multa disputare, quamdiu dogma divinitatis Christi non esset in tuto collocatum. Attamen Arius quod in universum docuit, tres personas inter se natura et majestate dispares esse, hoc certe ita intelligi voluit, ut quanto filius patre, tanto spiritus s. sit (patre et) filio inferior. Satisne hoc ex eo conclusum videtur, quod inter omnia, quae praeter deum reperiuntur, spiritu s. non excepto, quidquam creatum esse negavit nisi per filium a patre ipsum ante rerum primordia creatum? Accedit, quod omnis qui dicitur subordinatianismus ipse ita fert, ut in ordine trium personarum quasi gradus quidam statuantur, quibus a deo patre ad inferiorem filium et infimum spiritum s. descendatur. Quo factum est, ut haeresim Arianam vestigiis sequerentur qui dicuntur Pneumatomachi, quorum princeps fuisse traditur Macedonius, qui quum ab Arianis defecisset et filium profiteretur natura patri similem (*ὁμοιούσιον τῷ πατρί*), tamen spiritum s. (a patre) per filium creatum ejusque famulum ac ministrum esse docuit.

2. Quum ita res se habeat quumque quaestio de divinitate spiritus s. in ecclesia primaeva diu cum illa, quae de filio dei agebatur, artissime conjuncta esset, nobis, qui s. Cyrilli de divinitate filii doctrinam orthodoxam jam exploratam habemus, vix necesse esse videtur, ex opere ejus catechetico, ubi dogma de spiritu s. popularibus atque usitatis verbis exponitur, singulos locos colligere et componere, unde argumenta de divinitate spiritus s. eruamus. Neque dubitamus, quin attentus lector, qui in memoria retinet, quae supra de trinitate attulimus documenta, simul et meminerit, Cyrillum revera spiritum s. et filium ubique eodem loco et ordine habere eodemque studio et animo tum personalem filii et spiritus s. proprietatem contra Sabellianos, tum contra Arianos naturalem eorum cum patre aequalitatem unitatemque defendere. Quapropter spiritum s. non solum longo intervallo a rebus creatis earumque angustiis et officiis separat atque eximit, verum etiam in ipsa trinitate, cui nihil alieni et creati sit admiscendum, eum comprehendit et expleta divinae naturae et generationis cognitione, qua quidem creaturae omnes careant, eademque divinitate, efficientia, praesentia et adoratione ea, qua par est deum colere, cum patre et filio conjungit[22]). Ac ne quid relinquat, quo ignorantes perduci possint, ut spiritum s. ex divino trium personarum ordine in inferiorem detrudant, inter spiritum s., quem tertiam deitatis personam credimus, et alios quos vocamus spiritus, v. gr. animam humanam et angelos, magnum discrimen servat, catechumenos praemonens, ne similitudine nominis decepti nominatos ipsos

---

[22]) Vid. supra I. n. 2 sqq.

confundant et spiritum s. in spiritibus creatis numerantes a veritate deflectant (cat. 16, 13 sqq.). „Ascende enim cogitatione tua usque ad coelum et contemplare tam multa, quae ibi exstant innumerabilia angelorum millia; si vales, cogitatione ad altiora pervola et conspice archangelos, virtutes, principatus, thronos, dominationes: quorum omnium paracletus est praeceptor et sanctificator. Nulla rerum creatarum ipsi honore par; nam omnia angelorum genera et exercitus simul collecti nullam cum spiritu s. similitudinem aequalitatemque sustinent. Illi quidem in ministerium mittuntur, hic vero scrutatur etiam profunda dei“ (cat. 16, 23). „Unus“ igitur „est spiritus s. paracletus, quemadmodum enim unus est pater neque est secundus pater, et sicut unus est unigenitus filius et verbum dei, fratrem non habens, ita unus est spiritus s. neque alter spiritus ipsi honore par“ (cat. 16, 3. cf. cat. 4, 16. cat. 16, 24. cat. 17, 2). Qualis autem ille honor, quo spiritum s. nullus alius adaequare dicitur, a Cyrillo intelligatur, id quidem jam ex proximo superiori loco, ubi spiritus s. una cum patre et filio, delectu omni ac discrimine dignitatis remoto, in divina trinitate ponitur, facile nobis apparere videtur, optime vero ex iis locis pernoscitur, quibus „spiritus s. cum filio divinitatis paternae particeps“ (cat. 6, 6) et „cum patre et filio divinitatis gloria honorandus esse legitur“ (cat. 4, 16)[23]). Quodsi Cyrillus catechumenos jussit „et in spiritum s. credere et rectam de eo sententiam habere“ (cat. 4, 16), rectam fidem sine dubio intellexit eam esse, qua cum patre et filio simul et spiritus s. deus esse creditur. Imo vero etiam praecipuam illam et peculiarem spiritus s. proprietatem ac virtutem, sanctificationem dico rerum a patre per filium creatarum (cat. 4, 16. cat. 16, 3. cat. 17, 2), et sanctificandi vim sacramentis inhaerentem ex ipsa divinitate spiritus s. deducere videtur. Certe quidem „vis omnia sanctificans et deifica“[24]), quae ubique spiritui s. tribuitur, solius dei propria est, neque „sacrum chrisma nisi praesente divinitate spiritus s. donarium Christi et spiritus s. efficiens redditur“[25]). — Ut divina substantia ita etiam qualitates facultatesque divinae spiritui s. adscribuntur, velut omnipotentia[26]), immensitas[27]), simplicitas naturae cum diversitate operum conjuncta[28]), utriusque testamenti institutio[29]), largitio omnium gratiarum aeternaeque salutis[30]).

---

23) Cf. cat. 16, 3: „*Ἔστιν οὖν τὸ ἅγιον πνεῦμα μεγίστη δύναμις, θεῖον καὶ ἀνεξιχνίαστον*“.

24) Cat. 4, 16: „*Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ πάντων ἁγιαστικὸν καὶ θεοποιόν*“.

25) Cat. 21, 3: „*Τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον . . . Χριστοῦ χάρισμα καὶ πνεύματος ἁγίου παρουσίᾳ τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γινόμενον*“.

26) „Omnipotens (*παντοδύναμος*) in donis“ (cat. 16, 22) et ex sua ipsius potestate (*αὐτεξουσιαστικῶς*) agens (cat. 16, 14) spiritus s. est, qui per apostolos et diaconos tam multa mirabilia edidit (cat. 17, 21 sqq.), aquas baptismales vi sanctitatis replet (cf. cat. 19—20), chrisma ex communi elemento sanctum reddit (cat. 21, 3), panem et vinum in corpus et sanguinem Christi convertit (ibid. cf. cat. 22).

27) Spiritus sancti proprium est, cum patre et filio ubique praesto esse (procat. 15. cat. 15, 24. cat. 17, 5) omniaque intueri, vel latentes cujusque sensus et cogitationes, et quidquid in orbe terrae ab hominibus bene agitur, efficere tum illustrando mentem tum voluntatem movendo, et angelos in diversis coelis constitutos docere ac sanctificare (cat. 16, 22—23).

28) Quod patri natura eximium inest, „quum simplicis sit substantiae (*μονοειδῆ τὴν ὑπόστασιν*), innumerabiles tamen operationes emittere“ (cat. 6, 7), id de filio (cat. 10, 5) iisdemque fere verbis de spiritu s. repetit, qui, „quum unus et simplex et individuus sit (*ἓν ὂν καὶ μονοειδὲς καὶ ἀδιαίρετον*), unicuique gratiam tribuit, sicuti vult, et multas virtutes efficit“ (cat. 16, 3. cf. cat. 4, 16. cat. 16, 25. cat. 17, 3—5).

29) Ut „divinitus inspiratae veteris et novi testamenti scripturae nos docent, unum esse utriusque foederis deum, qui Christum in novo patefactum in veteri praenuntiavit“ (cat. 4, 33), ita Cyrillo exploratum est, „spiritum s. in lege et prophetis, in veteri et novo testamento locutum esse (cat. 4, 16. cf. cat. 11, 12) et per prophetas de Christo praedixisse (cat. 16, 2) et novum testamentum in ecclesia catholica excitasse“ (cat. 17, 29).

30) Cf. cat. 14, 22. cat. 12, 1. cat. 16, 15, 17. cat. 17, 13.

3. Plenam hanc divinitatem[31]) cum omnibus ejus qualitatibus a Cyrillo non minus spiritui s. quam patri et filio tribui, nemo certe mirabitur, qui cum illo de origine et processione spiritus s. consentit. Licet enim catecheta hac de re nusquam fere proprie diserteque disputat, tamen dubitari non potest, quin spiritum s. ex ipsa substantia patris et filii procedere crediderit. Ubi enim de variis causis et rationibus disserit, quibus tertia deitatis persona spiritus s. appelletur, ibi ex plurimis illis, quibus etiam reliqui patres spiritus sancti e patre filioque processionem comprobare solent, sacrae scripturae testimoniis (Matth. 10, 20. Rom. 8, 9, 14. Ephes. 3, 14. Gal. 4, 6. Phil. 1, 19. I Petr. 1, 11. Act. 5. 9) demonstrat, eum tam patris quam filii spiritum esse (cat. 17, 4), neque tamen hac de causa divisum vel diversum, sed „unum atque eundem spiritum s.“ esse (cat. 17, 5); — quod non videmus quomodo profiteri potuisset, nisi spiritum s. a patre et filio „tamquam ab uno principio et unica spiratione procedere“ (conc. Lat. IV.) putasset. Sed est hujus rei etiam gravius hoc testimonium: „Et pater quidem dat filio, et filius communicat cum spiritu s.“ (cat. 16, 24). Ex quo primum hoc apparet, filium idem, quod ipse a patre accepit, in spiritum s. transtulisse. Atqui illud, quod pater filio dedit, nihil aliud esse quam ipsam divinitatem per generationem in filium transfusam, non est quod pluribus exponam, praesertim quum catecheta ad explanandam sententiam suam notissimum illud Christi afferat: „Omnia mihi tradita sunt a patre meo“ (Act. 8, 2), quod quidem constanter ad aeternam generationem refert (cat. 7, 5. cat. 10, 9. cat. 11, 10). Si ergo filius idem, quod ipse a patre accepit, substantiam inquam divinam, cum spiritu s. communicat, per se jam intelligitur, etiam spiritum s. eandem ipsam substantiam sive divinitatem ex patre per filium ducere, hoc est, spiritum s. ex patre per filium (sive a patre et filio)[32]) procedere. Negat autem Cyrillus, ut quidem aequum est negare, spiritum s. hanc ob rem existentia substantiali et proprietate personali carere; „non enim ab ore et labiis patris aut filii loquendo spiritus s. profertur aut efflatur neque in aërem diffunditur, sed substantialis est, loquens ipse et operans et dispensans et sanctificans, quum indivisa sit videlicet et concors unaque salutis erga nos dispensatio patris et filii et spiritus s., sicut et antea diximus“ (cat. 17, 5). Aliud quidquam de via ac ratione hujus processionis Cyrillus non magis dicere audet, quam „naturam vel substantiam spiritus s. sollicite perscrutari“ (cat. 16, 24), neque, respecta sola fide, magni est momenti; nobis sufficit cognovisse, eum etiam hac in quaestione a doctrina ecclesiastica nihil recedere et haeresim Pneumatomachorum, quam catecheses ejus duodecim fere annis antecedunt, valde abhorrere.

Nihil igitur nobis obstat, quominus commentationi nostrae jam finem faciamus, eundem vobis, commilitones humanissimi, ex ea fructum proventurum esse confidentes, quem catecheta Hierosolymitanus auditoribus suis imprecatur, „ut ex tota de trinitatis mysterio habita oratione firmiorem fidem percipiant in unum deum, patrem omnipotentem, in Jesum Christum dominum nostrum, filium ejus unigenitum, in unum spiritum s. paracletum“ (cat. 17, 35).

---

[31]) Omnibus quibus jam usi sumus s. Cyrilli de divinitate spiritus s. argumentis id accedit, quod ex catechesibus nihil fere afferri potest, quo divina spiritus s. majestas minui videatur. „Wenn der h. Cyrill einmal sagt (cat. 16, 21), daß der h. Geist für uns bei Gott intercedire, so will er nicht mehr behaupten, als der Apostel, dessen Worte angeführt werden: der h. Geist rufe in uns durch seine Gnade die Seufzer und Gebete hervor“. Schwane l. c. p. 165. De adoratione spiritui s. debita deque solemni ejus in ecclesia et in catechesibus invocatione cf. cat. 3, 3. cat. 19, 7. cat. 21, 3. cat. 16, 25. cat. 17, 34.

[32]) Filium a spiratione tertiae personae Cyrillo judice minime excludendum esse, ex eo facile intelligitur, quod eodem loco (cat. 16, 24) argumentum sumitur ex verbis illis Christi: „Ille (sc. spiritus s.) me glorificabit, quoniam ex meo accipit“ (Act. 13, 2), quibus omnes fere patres tam Graeci quam Latini spiritus sancti a filio processionem probaverunt.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. IX—X.
II. Jus canonicum tradere perget diebus Veneris et Saturni h. IX—X.
III. Repetitiones de historia ecclesiastica instituet semel per hebd. h. d.
IV. De arte christiana disserere perget semel per hebd. h. d.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

I. Administrationem sacramenti poenitentiae docebit sexies per hebd. hora VIII.
II. De stilo curiali disseret diebus Lunae et Jovis hora VII.
III. De Stanislai Cardinalis Hosii vita et scriptis tractabit diebus Martis et Veneris hora VIII.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

I. Doctrinam dogmaticam de justificatione deque sacramentis et rebus novissimis exhibebit quinquies vel sexies per hebd. hora X.
II. Psalmos selectos interpretari perget bis terve per hebd. hora VII.
III. Linguae hebraicae artem grammaticam continuabit, exercitia interpretatoria adjungens, bis terve per hebd. hora VII.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Evangelium sec. Lucam interpretabitur quater per hebd. hora VIII.
II. Reliquam Apologetices partem tradet bis per hebd. hora II.
III. Repetitiones exegeticas instituet horis definiendis.

Lic. Julius Marquardt, P. P. E.

I. Theologiae moralis partem generalem docebit quinquies per hebd. hora XI.
II. Repetitiones et disputationes de rebus moralibus instituet hora def.
III. Historiam literariam primaevae ecclesiae enarrabit hora def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Inscriptiones christianas leget bis hebdomade hora V. vel VI. pomeridiana.
II. Historiam artis antiquae enarrabit ter vel quater hebdomade hora VI. pomeridiana.
III. Exercitationes philologicas instituet h. d.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

Veneranda senectute excusatus lectiones nullas habebit.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiae medii aevi partes praecipuas tradet ter vel quater per hebd. h. VIII.
II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas, enarrabit bis per hebd. h. VIII.
III. Primordia et fata linguae theodiscae exponet semel per hebd. h. d.
IV. De critica historiae tractandae ratione disseret semel per hebd. h. d.

Dr. Fried. Michelis, P. P. O.

Lectiones nullas habebit.

Dr. Jos. Krause.

I. Psychologiam tradet ter per hebd. hora X.
II. Metaphysicam docebit ter per hebd. hora X.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Praeterea instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, in Lyceo asservantur.

CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

Nomina victorum et quaestiones in annum MDCCCLXXXI—MDCCCLXXXII propositae suo tempore renunciabuntur.